

habet menda. Ed. II. 1531. Editio III. melior 1548. — Venetiis, Justiniani, 1546—51. Editio aliquantulum melior, quam sequitur ed. III. Bombergii. — Basileae, 1578—81. Multa in Christianos injuriosa jussu censorum omissa. Ceterum editionem Bombergii et Justiniani sequitur. — Cracoviae, Ed. I. 1602—1605. editionem Basileensem sequitur, sed multa omissa supplet. — Cracoviae II. 1616—1620. — Amstelodami, 1644—1648. et 1714—1717. — Francoford. a. M. 1720—1722. — Pragae, 1830—34. — Vindobonae, 1843—49. — Berolin., 1867. sq. Praeterea singulae partes et tractatus mišnae ac gemarae saepius edita sunt.

Plures etiam adsunt Talmudis *versiones*, e quibus aliquas memorasse sufficiat. a) *Mišnae*: Mišna . . . cum comment. Maimonidis et Bartenorae. Latinitate donavit ac notis illustravit Guil. Surenhusius (Surenhuys.) Amstelod. 1698—1703. — Deinde 1760—1763. versionem Germanicam edidit Joh. Jac. Rabe, qua nititur etiam edit. German. Viennensis, 1817—1835. — Nova editio mišnae cum vers. Germanica Berolini, 1886. incepta est. b) *Talmudis Palaestinensis*: Apud Bl. Ugolini, Thesaurus antiqu. sacrarum, tom. XVII—XXX. Venet. 1755—1765. 17 tractatus latine versi. — M. Schwab, Le talmud de Jérusalem, 11 tomi, Paris. 1878—1890. — Praeterea plures tractatus latine et germanice editi. c) *Talmudis Babylonicum* multi tractatus translati sunt, e. g. Berakhoth a Chiarini gallice, Lipsiae, 1831., Joma a Strack, Berol. germanice, 1888., 'Abhodá Zará ab Ewald germanice, Nürnberg, 1856., et Strack Berol. 1888., Šabbath a Strack germanice, Lipsiae, 1890. etc. etc. Praeterea multi tractatus singulares hebraice editi versiones vernaculas adjectas habent.

6. — *Additamenta Talmudis*. Mišná non omnes halakhas continet. Halakhae, quae in mišná desunt, vocantur barajtae (vel tosephtae sensu lato) seu extravagantes. Harum duae exstant collectiones. (Aliae si fuerint, perierint vel collectaneis exstantibus insertae sint.)

a) *Barajtae* (מִשְׁנֵי חִיצוֹן = extranea sc. mišná), jam a R. Chijja Sen. et R. Hoša'já (Uša'ja) initio saec. III. collectae. Sed per multa saecula novis halakhis et fragmentis antiquarum collectionum augebantur.

b) *Tosephta* sensu stricto (מִשְׁנֵי תוֹסֵפְתָא = additio) est alterum halakharum corpus mišnae simile, sed privatum, non canonicum, vel ut alii putant, altera antiquae collectionis canonicae forma. Tosephta in forma, dispositione, titulo, numero partium cum mišná convenit; imo exordia et clausulae partium ad verbum consonant. (Majmonides falso eam commentarium mišnae dicit, quia Tosephta nunquam mišnam allegat, imo saepe ei repugnat.) Multi mišnam et tosephtam duas formas (recensiones)

esse putant, in quas collectio halakharum 'Aqibhae a successoribus ejus ('Aqibha, Meir, Jehudá — 'Aqibha, Nechemjá, Chijja) redacta sit. Revera utraque principiis et methodo scholae 'Aqibhae convenit. Et quidam recentiores (Zuckermandel) tosephtam pro originali mišná Jehudae Palaestinesi habent, quam amoraei Babylonii opprimerint, suam propriam collectionem halakharum nunc mišnam vocatam ei supponentes.

*Auctores tosephtae* habentur R. Nechemjá, discipulus 'Aqibhae, qui fundamenta jecerit, et R. Chijja Senior aliique, qui postea collectionem auxerint et ordinaverint. Id certum est, tosephtam tarde admodum descriptam esse.

*Tosephtam ediderunt*: Bl. Ugolinus, Thesaur. antiqu. sacr. 31 tractatus tosephtae cum versione Latina. — M. S. Zuckermandel, Tosephta nach den Erfurter und Wiener Handschriften. Pasewalk, 1880. Supplement, Trier, 1882. Praeterea aliqui tractatus singulares editi sunt.

*Compendia Talmudis*. Jam tempore gaonum nonnulla compendia et libri manuales systematici doctrinae talmudicae conscripti sunt. Tales sunt: a) *Šeeltot* (*quaestiones*) e medio saec. VIII. a R. Acha; b) *Halakhoth Gedoloth* e saec. VIII—IX. a R. Šim'on Qajira Aegyptio, qui omnia S. Scripturae praecepta et vetita ad 613 revocavit. Sed his multo celebriores sunt sequentes.

*Majmonidae Mišné Torá* (repetitio legis) e saec. XII., quae doctrinas Talmudis systematice proponit lingua Hebraica. (V. infra.) Ad hunc librum postea R. Joseph Qaro commentarium scripsit.

R. Ja'aqobh ben Ašer circa annum 1320—40. sub titulo *Arba' turim* (quattuor ordines) leges Talmudis tunc adhuc usitatas in codicem legalem et ritualement collegit. (Edit. Fano, 1516. Venet. Bomberg, 1522. etc.) Ad Arba' turim R. Joseph Qaro commentarium (Beth Joseph) scripsit, cui innititur

*Šulchan 'Arukh* (mensa instructa) ab eodem R. Joseph Qaro e saec. XVI. Hic liber codex religionis, quasi catechismus magnus ac rituale et maxima auctoritas dehinc apud Judaeos est, ad quem multi alii notas et commentarios scripserunt. (Edit. Venet. 1565. 1567. 1574. 1578. Cracov. 1594. Hannov. 1627. et saepius. Vers. Germanica a H. G. F. Löwe, Hamburg, 1837. sqq.)

*Commentarii Talmudis*: *Raši* saec. XI. commentarium celeberrimum scripsit, qui ad omnes editiones Talmudis in margine dextro additur. Ad hunc alii postea supercommentarios scripserunt. — *Majmonides* sub titulo *Peruš Mišnajot* (expositio, interpretatio mišnarum) explicationem mišnae scripsit arabice. Hujus operis introductio ad mišnam

celeberrima est. Versio Hebr. plurimis editionibus Talmudis adjungitur. — *Tosaphoth* (additamenta, supplementa) sunt explicationes ad plus quam 38 tractatus Talmudis, in scholis tosaphisticis saec. XII. et sequenti praesertim in Gallia a successoribus Raši compositae. Editionibus Talmudis in margine sinistro adjici solent. — Praeterea saec. XIII. R. Mošê ben Nachman (Ramban) ad Talmudem et post eum 'Obadja di Bertinoro († 1510.) ad mišnam commentarium scripserunt. Posterioris opus etiam multis editionibus Talmudis additur.

*Introductiones in Talmudem* ediderunt: *Majmonides*, v. infra. — *Zach. Frankel*, Dibrê Hammišnâ, Hodegetica in Mischnam, librosque cum ea conjunctos. (Tantum pars I.: Intr. in mišnam, edita est.) Lipsiae, 1859. Additamenta et index ad Hodegeticam. Lips., 1867. *Introductio in Talmud Hierosolymitanum*. Breslau, 1870. — *Jac. Brüll*, *Einleitung in die Mischnah*. Frankf. a. M. 1876—1885. — *L. Chiarini*, *Prolégomènes de la version du talmud*. Leipzig, 1831. — *M. D. Cahen*, *Reperitorium talmudicum*. Lyon, 1877. — *Herm. L. Strack*, *Einleitung in den Talmud*. Leipzig, 1894. — *Huber Lipót*, *A talmud*. Budapest, 1897.

### § 127.

#### Exegesis Judaica a collapsu scholarum orientalium.

1. — Arabes Hispania potiti tum Judaeis ibi viventibus multas libertates donarunt, tum aliis Judaeis ex oriente emigrantibus viam aperuerunt. Exemplum Arabum scientias amplectentium etiam Judaeos (primo Mosen ben Chanokh) ad scholas condendas permovit, quos alii Judaei, opibus et auctoritate pollentes (e. g. Chasdaj ben Jiçchaq, kalifarum medicus saec. X.) munifice in proposito adjuvarunt. In his scholis primum scientia grammatica, postea exegesis S. Scripturae erudita maxima incrementa ceperunt. Ex Hispania scientiae in alias quoque regiones transierunt. Hoc tempore floruerunt:

R. Šelomô ben Jiçchaq (*Raši*) a Christianis saepe *Jarchi* vocatus, natus Trevis (Troyes) anno 1040. † 1105. Fere ad *totam S. Scripturam* A. T. (et ad Talmudem) commentarium scripsit. Commentarius ejus biblicus etiam latine translatus (a J. Fr. Breithaupt. Gothae, 1710—14.) brevis est et concinnus, sensumque litteralem quaerit, allegoriam tamen non omnino negligit. Sed talmudicis interpretationibus nimis indulget. Vaticinia Messiana antea ab ipsis Judaeis admissa aliorum detorquet. Commentarius ejus in Pentateuchum est primus liber Hebraicus typis excusus. Successores Raši in Gallia commentarios ad Talmudem sub nomine tosaphoth scripserunt.

R. Šim'on Kara prioris aequalis, collectanea antiquarum haggadarum ex midrašim et Talmud facta sub titulo *Jalqut* edidit.

*Abraham (ben Meir) ibn 'Ezra* (Abenezra, Rabe) anno 1093. in Hispania natus, in Italia, Gallia, Africa et oriente itinera faciens et degens † 1167.; grammaticus, et maximus exegeta Judaeus medii aevi. Fere in *totam S. Scripturam* A. T. commentarium scripsit, qui etiam a Christianis magni habebatur, et ad quem alii supercommentarios scripserunt. Sensum litteralem plerumque accurate sequitur, et fabulas talmudicas rejicit.

*Mošê ben Majmon (Majmonides, Rambam)*, anno 1135. Cordubae natus, anno 1204. (vel 1208.) mortuus. Contra persecutionem Almohadum juvenis cum patre in Fez emigravit, ubi (ut multi eo tempore Judaei) religionem Mohammedanam fecte suscepit et ad studia philosophica atque medica se applicavit. Deinde Aegyptum petiit, ubi primo mercator, mox Saladini sultani medicus factus est, et simul praelectiones philosophicas ac theologicas habuit. Philosophus potius quam exegeta, commentarium proprie dictum non scripsit. Sed diversis operibus *exegesis biblicam immiscet*, et in Bibliis saepe idearum symbola quaerit. Tropos biblicos explicare amat. Opera ejus praecipua sunt: a) *Peruš Mišnajoth*, i. e. commentarius mišnae, arabice scriptus. Praemittitur introductio in mišnam et Talmudem seu introd. in Seder zera'im. (Arabice et latine edidit Ed. Pococke sub titulo: *Porta Mosis*, Oxoniae, 1655.) In ipsius operis introductione auctor disserit *de prophetismo, et de tropis biblicis*; in opere autem multae et amplae dissertationes philosophicae ac dogmaticae inveniuntur. b) *Mišnê Torâ (Jad hacchazaqâ)* i. e. repetitio legis seu manus fortis, lingua Hebraica et systematice exponit omnes doctrinas Talmudis, imo totam Judaeorum theologiam. Religiones Christianam et Mohammedanam pontes habet, quibus gentes ad monotheismum et legem Moysis ducantur. (Opus editum est Soncini, 1490. Constant. 1509. Venet. 1524. 1550. 1574. 1577. Amstel. 1702. Berol. 1880. — Sed dictum illud tantum in editionibus Amstelodamensibus invenitur.) c) *Morê Nebhukhim* seu magister perplexorum, est dogmatica et apologetica arabice, ad quam posteriores rabbini commentarios scripserunt. (Edit. Savionetae, 1553. Etiam versio Lat. adest.)

Rabbini tamen orthodoxi philosophiam et theologiam Majmonidae vehementer impugnarunt, et ita Judaei Hispaniae et Galliae meridionalis saeculi XIII. in majmonistas et antimajmonistas (illuminatos et talmudistas nimios) divisi sunt. Nonnulli Majmonidae adversarii scripta ejus publice in rogo combusserunt. Revera quidam Majmonidae

discipuli rationalistae facti sunt, qui miracula naturaliter explicarunt, multas narrationes biblicas allegorias morales vel poemata esse, caeremonias sapienti superfluas esse docuerunt.

*Joseph ben Jiçhaq Qimchi* annis 1150—1170. praeter grammaticam Hebraicam *commentarios biblicos* scripsit.

*David ben Joseph Qimchi (Radag)*, filius prioris, Gallus nat. 1160. † 1235; celeberrimus grammaticus, qui etiam *Biblia (Pentateucho excepto) explanavit*. Sensum litteralem, aliquando spiritualem sequitur. Stilus perspicuus est atque elegans. Opera ejus a rabbinis merito maximi habentur.

*R. Ja'aqobh ben Ašer* † circ. 1340. *commentarium ad Biblia* composuit; praeterea sub titulo *Arba' turim* compendium Talmudis.

*R. Levi ben Geršom (Ralbag, Gersonides)*, nat. 1288. † post 1340. Philosophus audax, qui creationem ex nihilo negavit, mundumque ex materia informi factum esse contendit. Praeter *commentarios ad Aristotelem et Averrhoem* scriptos, etiam *commentarium in S. Scripturam* confecit, valde divulgatum ideo, quia doctrinas morales ingeniose et pulchre exponit.

*R. Joseph Albo* Hispanus † 1444. dogmaticam sub titulo *Sepher 'Iqqarim* liber fundamentorum scripsit. (Venet. Bomb., 1521. Lublin, 1597.)

*Don Isaac ben Juda Abarbanel*, Ulissiponae anno 1437. natus, anno 1509. defunctus, minister Ferdinandi et Isabellae regum. *Commentarium in Pentateuchum et prophetas* conscripsit.

*'Obadjâ di Bertinoro* † 1510. *commentarium in mišnam* compilavit.

*Elijjâ ben Ašer Hallevi* seu *Elias Levita*, Italus, natus 1465. † 1549. Praeter grammaticam Hebraicam celeberrimam scripsit introductionem in Masoram, cui titulus est *Masoreth Hammasoreth* (Venet. 1538.) et lexicon talmudicum. Danielem Bomberg librarium in libris Hebraicis edendis adjuvit. Elias habetur auctor sententiae, canonem librorum A. T. a synagoga magna collectum et clausum esse.

Mauris Judaeorum fautoribus ex tota Hispania pulsus, multi Judaei in orientem imprimis in Palaestinam migrarunt.

*R. Joseph ben Ephrajim Qaro* 1488—1577. ex Hispania oriundus postea in Turciam et deinde in Palaestinam emigrans. Unus ex maximis Talmudis doctoribus, qui praeter *commentarium ad Arba' turim* (Beth Joseph) etiam compendium Talmudis *Šulchan 'Arukh* scripsit.

*R. Aben ben Melekh* Hispanus saec. XVI. *commentarium in totam S. Scripturam* ex optimis operibus rabbinorum medii aevi compositum edidit Constantinopoli, anno 1554.

Medio aevo plures rabbi libri odio et calumniis plenos contra Christum, personas Novi Testamenti et Christianos scripserunt. Tales libri sunt a) *Sepher Hanniççachon*, liber victoriae, a R. Lipman ex Mühlhausen rabbino Pragensi contra historiam evangelicam scriptus, saec. XV. b) *Sepher Toldoth Ješu*, generationes, origo Jesu, opus anonymum et incertae aetatis medii aevi. Fabulas infames ac blasphemias de origine Jesu proponit, antiquis Judaeis ignotas. Miracula tamen Christi negare non audet, sed pronuntiatione vocis Jehovah, aut magia, quam Christus in Aegypto didicerit, patrata esse dicit.

Inter *commentatores qaraitarum* eminent: Ja'aqobh ben Reubhen saec. XII., *Aharon ben Joseph*, saec. XIII., qui valde bonos *commentarios in Pentateuchum et prophetas* scripsit, et Aharon ben Elijjâ saec. XIV.

2. — Inter Judaeos medii aevi late diffusa fuit theologia atque exegesis *qabbalistica*. Haec longe antea orta, jam apud talmudistas sparsim occurrens, a saeculo IX-o invaluit. Quum enim Arabes inter se de anthropomorphismis qorani litigarent, utrum tropice an ad litteram sint intelligendi, similes quaestiones etiam apud Judaeos ortae sunt, multique horum Deum ejusque regnum anthropomorphistice cogitare, et theosophiam seu mysticam rudem, phantasticam ac puerilem confingere coeperunt. Idem etiam philosophiae restiterunt.

Commentator qabbalisticus praecipuus est *R. Moses ben Nachman (Ramban, Nachmanides)* † circ. 1280., qui *Pentateuchum* (et Talmudem) interpretatus est.

Praeterea multi sunt *libri qabbalistici*, partim theosophiam, partim exegesim continentes. Praecipui sunt:

*Sepher Jeçirâ* (סֵפֶר יְצִירָה) = liber creationis) Abrahamo vel saltem R. 'Aqibhae adscriptus, revera primis post Christum saeculis, fors circa tempus Christi ortus. Est soliloquium Abrahae de rationibus conversionis suae a cultu stellarum ad unum verum Deum. Ex 22 litteris alphabeti et 10 numeris, seu ex harmonia litterarum, numerorum et creaturarum systema philosophicum et historiam creationis componit. (Edit. Mantuae, 1562. Amstelod., 1642. a J. S. Rittangel cum vers. Latina, deinde a J. F. Meyer cum vers. Germanica Lips., 1830 et ab Isid. Kalisch cum vers. Anglica New-York, 1877.)

*Sepher Hazzohar* (סֵפֶר הַזְּהָרָה) liber splendoris) seu *Midraš jehi or chaldaice* scriptus, maximi habitus, qui ideas omnes qabbalistarum comprehendit. Hic olim saeculi II. initiis et Simoni ben Jochaj tribuebatur, qui eum in specu quodam degens per revelationem accepisset; revera tamen saec. XIII. in Hispania, ut videtur a Mose de Leon scriptus. (Totum Talmudem et Mohammedanos novit, textuque masoretico punctato

utitur.) Formam habet *commentarii in Pentateuchum*, sed pretium exegeticum nullum. Agit etiam de Deo, Messia, angelis, origine hominis, etc. (Edit. Mantuae, 1558. Cremonae, 1560. Lublin, 1623. Amstelod., 1714. 1736. 1805. Vilnae, 1882.) Quaedam partes in Latinum et alias linguas translatae sunt.

Theologia qabbalistica saec. XVI. in Europa orientali et Palaestina revixit. Iterum multi libri qabbalistici scripti sunt. Sectatores qabbalae tempus adventus Messiae arte sua computare voluerunt, ejusque propinquum adventum et restitutionem regni Israel praedixerunt. Ceterum erant ascetae, visionibus et revelationibus gloriantes. Ex illis saec. XVII. et XVIII. sectae quaedam fanaticae et falsi messiae prodierunt.<sup>1</sup>

3. — Saec. XVIII. ceber Judaeorum philosophus et exegeta fuit *Moses Mendelssohn* († 1786.) qui Judaeis, antea theologiae fere soli operam dantibus viam ad scientias profanas monstravit. Ipse autem ab orthodoxis excommunicatus est et scripta ejus combusta.

Saec. XIX. inter Judaeos variae sectae vel partes ortae sunt, quae propria principia in aestimatione et interpretatione Bibliorum habent. a) Orthodoxi Biblia imprimis Toram inspirata esse credunt; at etiam Talmudem tamquam traditionem maximi faciunt, etsi non in omnibus sequuntur; ritus autem traditos quoad fieri potest observant. b) Neologi seu reformati, qui Biblia pro divinis accipiunt, sed multa in iis allegorice explicant. Ex Talmude quae bona sibi videntur, retinent; mores autem traditos ex parte observant, sed symbolice (spiritualiter ut dicunt) accipiunt. c) Rationalistae, qui Biblia pro opere humano habent, Talmudem non curant, ritus non observant, sed ideas tantum, ut dicunt, judaismi tenent.

<sup>1</sup> Saec. XVII. in Turcia *Sabbathaj Çebhi* asceta qabbalista (librum Zohar colens) messiam se dixit, et ab asseclis miraculorum patrator habitus, totum orientem perturbavit. Mortuus est anno 1676. Asseclae ejus qabbalae falsoque mysticismo dediti Talmudem rejecerunt, et aliquam in Deo trinitatem (antiquus dierum, messias, šekhinâ) statuerunt. Secta sub nomine Sabbathianismi permansit, ex qua etiam vir doctus Moses Chajim Luzzato († 1747.) erat. (Secta haec differt a secta Sabbathariorum in Transsylvania, qui sunt protestantes, mores quosdam Judaeorum observantes.) Similis secta saec. XVIII. in Polonia orta est *Frankistarum*, a *Jacobo Frank* († 1791.) condita, qui se successorem Sabbathaj dixit, et ab asseclis messias habitus est. Frankistae Talmudem rejecerunt, at librum Zohar pro libro suo sacro acceptarunt. Qabbalam cum religione Christiana confuderunt, et ipse auctor cum multis sectatoribus baptismum suscepit. Postea Sabbathiani in Polonia sub nomine *chasidaeorum* propagati sunt, capita sectae prophetas et thaumaturgos habuerunt, et usque nunc exstant.

Quoad ideam et expectationem Messiae et quoad interpretationem locorum Messianorum Judaei moderni multum inter se differunt. Orthodoxi Messiam personalem, regnumque ejus imprimis terrestre expectant; neologi Messiam idealiter vel collective accipiunt de uno vel multis hominibus, scientiam et mores reformantibus ac promoventibus. Rationalistae ut revelationem supernaturalem, ita etiam promissionem Messiae negant. Expectationem Messianam meram spem ac desiderium libertatis et prosperitatis civilis, mundi melioris, aetatis aureae fuisse contendunt, nec alium liberatorem seu Messiam fuisse expectatum, quam Jehovam ipsum, vel aliquem prophetam. Imo sunt, qui negent Israelitas unquam Messiam personalem expectasse, vel talem in Bibliis praenuntiatum esse. Quidam (Isr. Sack) plane dicit, ideam Messiae non apud Judaeos, sed apud primos Christianos ortam esse, ab iisque ad Judaeos transivisse.

#### 4. — *Bibliographia exegetis Judaicae.*

*Commentarii rabbinorum* praecipui collecti (una cum Masora) inveniuntur in *Bibliis rabbinicis*, jam septies editis. Editio I. Venetiis, apud Bomberg, 1517. (a Felice Pratensi, Leoni X. dedicata). Ed. VI. Basileae (a J. Buxtorf), 1618. sq. Ed. VII. Amstelodami, 1724. (divitissima). Sed loci in Christianos injuriosi omisi sunt.

*Historiam* autem theologiae et exegetis Judaicae tractant sequentes. *Joan. Buxtorf*, De abbreviaturis, Recensio operis talmudici et Bibliotheca rabbinica. Basil., 1640. — *Jo. Chr. Wolf*, Bibliotheca Hebraea. Hamburgi et Lips., 1715—1733. — *G. B. de Rossi*, Dizionario storico degli autori Ebrei e delle loro opere. Parma, 1802. (Etiam versio Germ. existit.) — *Ad. Franck*, La Kabbale ou la philosophie religieuse des Hébreux. Paris, 1843. Ed. III. 1892. Versio Germ. 1844. — *Jul. Fürst*, Kultur- und Literaturgeschichte der Juden in Asien. Leipzig, 1849. et Der Orient. Leipzig, 1840—1853. Bibliotheca Judaica. Leipzig, 1849—1863. Gesch. des Karäerthums. Leipz., 1862—1869. Gesch. der bibl. Lit. u. d. jüd. hellen. Schriftthums. 1867—1870. — *J. W. Etheridge*, Jerusalem and Tiberias, Sora and Cordova. London, 1856. — *M. Steinschneider*, Jewish Literature from the eighth to the eighteenth Century. London, 1857. Hebräische Bibliographie. Berlin, 1858—1865. — *J. M. Jost*, Gesch. des Judenthums u. s. Sekten. Leipz., 1857—1859. — *H. Grätz*, Gesch. der Juden bis an die Gegenwart. Leipz., 1866. — *Ab. Geiger*, Allg. Einl. in die Wissensch. des Judenth. Berlin, 1875. — *Dav. Cassel*, Lehrb. der jüd. Gesch. und Literatur. Leipzig, 1879. — *J. A. Benjacob*, Oçar Hasepharim, Bücherschatz. Bibliographie der gesamt. hebr. Literatur. Wilna, 1880. — *Ch. D. Lippe*, Biblio-

graphisches Lexicon der gesamt. jüd. Liter. Wien, 1881. — *Nechunja ben Kana*, Die Mysterien der Kabbala. Wilna, 1883. — *Herm. L. Strack*, Bibliograph. Abriss der neuhebr. Literatur, appendix operis: Siegfried-Strack, Lehrb. der neuhebr. Sprache. Karlsruhe und Leipz., 1884. — *Jul. S. Spiegler*, Gesch. der Philosophie des Judenthums. 1890. — *M. Brann*, Gesch. der Juden und ihrer Literatur. II. Aufl. 1896—1899. — *W. Bacher*, Die älteste Terminologie der jüdisch. Schriftauslegung (der Tannaiten). 1899. — Conf. etiam introductiones in Talmudem supra memoratas.

## CAPUT SECUNDUM.

## Historia exegesis apud Christianos.

## § 128.

## Interpretatio Christiana primaeva.

1. — *Christus Dominus* Scripturam discipulis saepe explicavit. (Luc. 4, 18. sqq. 24, 44. sqq.) Interpretatio Domini plerumque erat litteralis. (Matth. 15, 3—5. 19, 4. sqq. 22, 42—45. etc.) *Apostoli* rectam Judaeorum interpretationem a Christo approbatam receperunt, et praeter sensum litteralem (Act. 2, 25. sqq.) etiam spiritualem nonnunquam (Joan. 19, 36. I. Cor. 10, 1—11. Gal. 4, 22. Hebr. cc. 7—10.) secuti sunt.

Idem apostoli et primi Christiani morem synagogae S. Scripturam per partes *in conventibus* legendi et explanandi acceperunt ac retinuerunt, ita ut lectio haec et interpretatio Scripturae pars esset cultus divini publici. Tribus primis saeculis libri sacri ex toto et ordine continuo in conventibus Christianorum legebantur et explicabantur; a saeculo autem IV. jam partes selectae (pericopae) praelegebantur. Expositio Scripturae a saeculo III. in forma homiliae fiebat.

*Patres apostolici, apologetae et scriptores saeculi II.* homilias continuas et commentarios non scripserunt, sed in scriptis suis data occasione nonnullos Scripturae locos explanarunt. Tunc enim, quum plurimi loci Scripturae praesertim Novi Testam. propter propinquitatem linguae, loci et temporis multo facilius quam nunc intelligebantur, uberioris interpretationes minus erant necessariae. Deinde Patres alique scriptores doctrina ac defensione fidei fideliumque occupati, amplioribus homiliis et commentariis scribendis non vacabant. Ideo scripta eorum fuerunt parva, et haec ipsa plerumque injuria temporum perierunt. Ex iis, quae supersunt, *ep. Barnabae* allegoricis ac typicis interpretationibus abundat, *ep. Clementis Romani* ad Corinth. plures locos biblicos

explicat. *Justinus M.* in dialogo cum Tryphone vaticinia Messiana interpretatur. *Melito Sard.* de Apocalypsi librum composuit, *S. Irenaeus* autem quosdam ejusdem libri sacri locos explicavit.

Imo non tantum orthodoxi, sed etiam *haeretici* (gnostici) jam saeculo II. Bibliis exponendis operam dabant. Ex operibus eorum exegeticis nonnisi fragmenta exstant. *Tatianus* ex quattuor evangeliiis suum *Diatessaron* composuit, ubi multi loci explicantur. *Basilides* sub titulo *Exegetica* 24 libros scripsit. In exegesi eminuit etiam *Heracleon*. Sed gnostici in omnibus nimii, partim sensum litteralem, partim allegoricum exaggerarunt.

2. — Christiani ab initio et semper solliciti erant, ut iis, qui linguas biblicas nescirent, Scripturam aperirent. Non est nostrum historiam *versionum* scribere; ideo tantum versiones antiquissimas et momentum in exegesi habentes nominasse sufficiat.

*Theodotion ebionita* S. Scripturam A. T. in Graecum vertit vel potius versionem Alexandrinam correxit circa ann. 185. p. Chr. Ecclesia orientalis versione libri Daniel a Theodotione facta utitur.

*Symmachus Samaritanus* postea ebionita circa annum 200. post Chr. versionem Graecam A. T. perspicuam sed liberam confecit.

*Versio Syriaca (Peshito)* e textu originali saeculo II., imo Ant. Testamenti probabiliter saeculo I. confecta est. Versio fidelis et clarissima, quae in exegesi maximam habet utilitatem.

*Versio Latina Itala* pariter e primis fidei temporibus, certe e saec. II-o descendit et versionem Alexandrinam (edit. communem) sequitur.

*Versiones Copticae* Utr. Test. secundum versionem Alex. etquidem jam saeculo III. confectae sunt. Versio autem *Aethiopica* e saeculo IV. descendit, et versionem LXX. sequitur.

Christiani jam saeculo II. scholas condebant, quae primum quidem catechumenis instituendis destinatae (scholae catecheticae), postea altiores scholae theologicae atque exegeticae evaserunt. Exegesis uberior et erudita demum saeculo III. in his scholis invaluit.

## § 129.

## Schola Alexandrina.

Tria saecula ante Chr. scientiae profanae ac sacrae, Graecae ac Judaicae Alexandriae florebant et in scholis exercebantur. Saeculo I. et II. post Chr. Alexandrini, in philosophia Platonis plerumque et Philonis sequaces, exegesi Philonis allegoricam maxime coluerunt. Religione Christiana jam primis duobus saeculis Alexandriae radices agente, non est mirandum, ibi paulo post scientiam religionis Christianae